88

# Limites inter villam ecclesiæ Wladislaviensis Witowo, et Powolowicze.

Nos Vincentius iudex Brzestensis per presentes publice profitemur, quod venientes ad nostram, et iudicium domini regis præsentiam in crastino beati Bartholomæi Apostoli, venerabilis in Christo pater dominus Mathias ecclesiæ Wladislaviensis episcopus, et Paulus dictus Slapa hæres de Powolowicze, coram nobis confessi sunt, granicies sive gades inter villam prædicti domini episcopi, et suæ ecclesiæ Wladislaviensis, Witowo dictam, et inter Powolowicze villam Pauli iam dicti, et fratrum ipsius, vero et iusto modo esse limitatas, prout ab antiquo erant factæ et limitatæ. Et ne super hoc alicui dubium oriatur, præsentes literas sigillo nostro fecimus roborari, imponentes Paulo prædicto et eius posteris perpetuum silentium per præsentes. Actum et datum in Brest anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono. Præsentibus honorabilibus viris dominis, Chebda castellano Brzestensi, Przepelkone fratre suo subpincerna Brzestensi, Dobeslao castellano Conariensi, Sandivoio subiudice Brzestensi, Birzchoslao, Nemerza, hæredibus de Przieweczerzino et aliis quam plurimis fide dignis.